DEO DUCE

MEDITATIO S. EVANGELII

DOMINICÆ

TRINITATIS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cùm opus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

In Regia Aboënsi Academia

PRÆSIDE

DN. ÆSCHILLO PETRÆO

S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.

Examini subjicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem Maji 11. *Anni* 1650.

ÆSCHILLUS PETRI STOLPE

SMOLANDUS.

(A) *Beda.*

Venit nocte, cupiens secreta eius allocutione discere mysteria fidei cuius aperta ostensione signorum aliquatenus iam rudimenta perceperat.

(B) *Cyrillus.*

Quoniam, inquit, Salvator patrem ac S. S. tum in seipso naturaliter habet, plurali numero personas testantium protulit.

ABOÆ.

Excudebat Petrus Wald/ *Acad. Typogr. Anno* 1650.

Generosis & Nobilissimis Dominis.

DN. JOANNI ROSENSMIDT

De Skylwik & öffwerby S. R. M.tis servitori fidelissimo, & benè constituto unius cohortis militaris Majori strenuissimo. Mæcenati suo propenso

ET

DN. JOHANNI ROSENSMIDT

De Druckzholm & Kandela Dn. & fautori suo Certiss.

UT ET

Viro conspicuo prudentissimo variarumq; rerũ experientia probatissimo.

DN. ANDREÆ KROKIO,

Parlamenti Regij, quod Aboæ est Assessori Consultissimo, promotori suo benigno.

NEC NON

Reverendis humanissimis ac Doctissimis viris

DN. JACOBO PETRI Stockholmensi

Pastori in Nagu ut dignissimo ita & vigilantissimo, Benefactori & promotori Colendo.

DN. GUDMUNDO JACOBI ROTHOVIO

Illustris & Generosæ aulæ Kurkianæ à Sacris concionibus perfideli, Fautori & amico peramando.

DN. LAURENTIO J. LINDMAN

Comministro in Nagu fidelissimo fautori & amico dilecto.

Dominis Mæcenatibus, promotoribus, benefactoribus, & amicis Exercitium hocce Theologicum humiliter submisse & perofficiose dedicat & offert.

Respondens.

DOMINICA TRINITATIS.

In Sanctæ & Summè Laudandæ Trinitatis, Patris, filii, & Spiritus Sancti Nomine.

Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt, 1. Joh. 5. 7. 8. Quibus verbis Apostolus de duobus & maximis fidei nostræ articulis loquitur de Divina illa Essentia in cœlo quod sint in illa distinctæ personæ & quidem nec pauciores vel plures quam tres, quas suo ordine & nominibus enumerat. Una quidem & illa in ordine prima persona est, quæ dicitur Pater, altera verbum, & uti alias sæpè vocatur illa persona Filius, tertia appellatur Spiritus Sanctus. Deindè dicit quod hæ tres personæ licet sint distinctæ personæ, tamen non habent diversas & distinctas essentias, sed unã & propterea hæ tres personæ sunt unus verus Deus.

Pater distingvitur â filio quod genuerit filium ab æterno sibi coæqualem. Filius distingvitur â patre quod genitus sit. Spiritus S. distingvitur â patre & filio per hoc quod procedat â patre & filio, modo imperscrutabili.

De hac Sacro sancta & individua Trinitate Ecclesia Christiana hodierno die festum celebrat, & indè Dominica Trinitatis apellatur: uberiorem doctrinam de Trinitatis Mysterio suppeditant conciones catecheticæ in explicatione Decalogi in præcepto primo, & Symbolo, Apostolico præsertim.

Alterum quod docet Apostolus in his verbis, est de regeneratione hominis per baptismum vz. per renascentiam

tiam ex aqua & Spiritu. De hac autem hominis regeneratione ex hodierno Evangelio plura audituri ſumus: prius v. Sacro ſanctam Trinitatem pro auxilio in omnibus quæ in hoc mundo nobis contingere poſſunt, humiliter invocabimus dicentes:

Præſto ſis pater Deus necnos ſines perire.

ORemus etiam Deum, ut hodiernum Evangelium ita meditari queamus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ, & bonorum operum, in ſpem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem: Dicamus igitur, Pater noſter &c.

EVANG. Joh. 3.

ERat autem homo ex Phariſæis Nicodemus nomine princeps Judæorum. Hic venit ad JEſum nocte & dixit ei: Rabbi, ſcimus quod à Deo veneris Magiſter: Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit JEſus & dixit ei: Amen Amen dico tibi, niſi quis natus fuerit è ſupernis, non poteſt videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus, quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Num poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire, ac naſci? Reſpondit JEſus, Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei, quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu ſpiritus eſt. Ne mireris, quod dixi tibi, oportet vos naſci è ſupernis: Spiritus ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis, ſed ne-

ſcis

ſcis, unde veniat, & quo vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Jeſus & & dixit ei, tu es ille Magiſter Iſraëlis & hæ ignoras? Amen amen dico tibi quod ſcimus loquimur & quod vidimus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis: Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credituri ſitis? Et nemo aſcendit in cœlum, niſi deſcendit è cœlo. Et ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita, exaltari oportet filium hominis. Et omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

PRincipem quendam Judæorum Nicodemum nomine ex Phariſæis veniſſe ad Chriſtum nocte, refert ſanctus Evangeliſta Johan. in hoc Evangelio, qui deſideravit informari â Chriſto quõodo poſſet videre regnũ Dei & in illud introire. Chriſt, eũ denuo renaſci & cũ Nicodem, putaret hoc impoſſibile dicẽs nunquid poſſit homo in ventrem matris ſuæ iterum introire & naſci, repetit Chriſtus ſuum ſermonem de neceſſitate renaſcendi; quod nullo modo ſalvetur homo niſi renaſcatur: non quidem ut Nicodemus regeſſit intro eundo inventrem matris ſuæ, ſed ex aqua & Spiritu. Hortatur v. Chriſtus Nicodemum ne miretur quod Chriſtus dixerit: oportet te renaſci, cum non intelligat naturam venti, neſciat unde veniat & quo vadat. Ideo cum Nicodemus quærit quomodo poſſunt hæc fieri redarguit illum Chriſtus, q.d non acquieſceret in Chriſti informatione, & quæreret quomodo ſpiritualis illa renaſcentia fieret, ac proponit i-

ſi aliud myſterium quod credere tenebatur, quamvis non intelligeret vidz. Filium hominis aſcendiſſe in cœlum, eundem deſcendiſſe de cœlo & eſſe in cœlo. Item ut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita oportere exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat ſed habeat vitam æternam.

Admonet autem nos hoc Evangelium, ut tertium Decalogi præceptum ſervare ſtudeamus, ſtudio audiendi & diſcendi verbum Dei. Docet etiam nos quæ ſit vis baptiſmi, vidz. quod per illam regenerationem hominis quæ in illo fit, liceat nobis introire in regnum DEI.

PARTES.

1. *De Nicodemi ad Chriſtum adventu.*
2. *Quomodo à Chriſto in via Salutis æternæ informatur.*

Atq; hæ ſunt iſtæ partes, quas hac vice brevitèr & ſimplicitèr tractare conſtituimus: *Omnipotens & æternus Deus, Pater noſter cœleſtis dilectiſſimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utilitèr & fructuoſè cedere faciat.*

PARS PRIMA

In qua meditamur;

I. Cauſam Adventus Nicodemi ad Chriſtum.

cauſa illius adventus ad Chriſtum hæc eſt. Non venit Nicodemus ad Chriſtum ex levitate aliqua & ebrietate ut noctem grallando in plateis conſumeret, nec animo incommodandi Chriſto, ut fures & latrones, de nocte veniunt, ad perdendum homines; verũ venit ad diſcendum viam Dei quæ duceret ad vitam æternam,

nam. Hanc cum alijs phariſæis ſe ignorare ex Chriſti concionibus de illa via animadvertit, feſtinat ad Chriſtum ut eam perdiſcat non puduit eum diſcere, quamvis celebris eſſet, in Jſrael Magiſter ſive Doctor & princeps judæorum quamvis etiam ex Secta phariſæorũ eſſet in qua viventes pro Sanctiſſimis & ſapientiſſimis habebantur... L. C. 1. Imitemur & nos Nicodemum in diſcendo â doctoribꝰ quæ nobis ſint neceſſaria præſertim quæ ſalutem noſtram concernunt, ſi quis in aliquo errore hactenus hæſit, audit verò jam viam ſalutis ſibi rectè annunciari & doceri, ne diutius in iſto luto erroris ſe volutare geſtiat ſurgat & at ad diſcendum veritatem non pudeat ipſam veritatem quam hactenus ignoravit & oppugnavit agnoſcere & amare Humanum eſt errare, diaboli vero in errore perſeverare.

Apoſtolus poſtquam non nullas Species peccatorũ recenſuit, tandem inſtituit admonitionem ad illos qui in hoc vel illo peccato olim vix erunt dicens ſurge qui dormis &c. Eph. 5. v. 1. ad 18.

2. Nemo cogitabit ſe ſero venire nimis ad agnitionem veritatis prætendens quod ſi prius hæc audiviſſet dũ juvenis eſſet, recipiſſet veram Doctrinam, jam verò ſero nimis eſſe poſtquam conſenuit aliquis arguendum fortaſſis ab alijs quaſi inconſtantem & levem, quod in ſenectute tam facile moveretur ab una religione ad alteram. Verum ſi res terrena eſſet, vita æterna, quæq carere quis poſſet utique non multi momenti poſitum eſſet in religione, per inde eſſet quamvis eligeret; quia verò non niſi unica via eſt, unica religio eſt quæ veram viam docet ad vitam æternam & vita æterna talis eſt qua carere nemo poteſt, & beatus eſſe ſed dum in viam æternam non patet introitus in baratrum æternæ damnationis

tionis & gehennæ homo præcipitandus eſt, utique ſumme refert ut in ea vivas, & perſiſtas usque ad extremum vitæ halitum quæ te poteſt ducere ad cælum.

Quantum cunq; quis ætate pro vectus & grandæ-vus, ſi monſtras ipſi viam ducentem ad exitium, utique ea non ingreditur, & ſi monſtras viam in qua ambulare cæpit, in præſens ſeducere ſz- mortis periculum, utiq; ſi ſapit diſcedit ab illa via, quacunq; tandem moleſtia, ideo q; omnibus dictum Senibus iuvenibusq; hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra Pſal. 9. 95. v. 5. item ſurge qui dormis Eph. 5. v. 14.

II. Nicodemi timiditatē in ad-

ventu ad Chriſtum. Hanc timiditatem indicat tempus adventus ejus ad Chriſtum, venit enim nocte & in tenebris quia metuit ſuos collegas qui Chriſtum oderunt, ne ab illis à Societate vel Synagoga ejiceretur. Hic metus arguit infirmitatem Nicodemi in fide in Chriſtum & tamen à Chriſto non reijcitur & repudiatur, ſed optimè in via ſalutis informatur.

L. C. Magni viri magni magiſtri, magnos etiam habent nævos & infirmitates, fides etiam apud eos non æque firma ac robuſta, eſt in illis etiam non ſemper fax ardens ſed aliquando linum vix fumigans interim à Chriſto benigne ſuſcipiuntur. Quare nemo propter infirmam ſuam fidem metuat ſe à Chriſto reici & contemni. Imo Deus cum primis reſpicit ad contritos Spiritu, non extingvit Linum fumigans & calamum quaſſatum non confringit, ad quē inq t reſpiciā niſi ad trementem Sermones meos, quamvis non omnes mereantur cum cananæa à commendationem ob magnam fidem, tamen beati ſumus ſi credimus pro dono fidei, quantum Deus dederit

oremus autem ut Deus fidem in nobis ad augeat.

III. Commendationem Christi à Nicodemo institutã.

per veniens Nicodemus ad Christum & benigne ab illo susceptus quamvis intempestivè ad veniens erumpit in commendationem Christi: dicens Magister scimus quod à Deo veneris Magister nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis; nisi Deus fuerit cũ eo Hac commendatione viam sibi sternit Nicodemus ad colloquium cum Christo de vera salutis via, quænam esset, profitetur se velle amplecti doctrinam Christi de hac via, se agnoscere ipsum suum Magistrum. utque id faciat moveri se ait insignibus Christi miraculis, quæ sine Divina in Christo virtute fieri ab illo non posse certo statuit. Quia ergo Christus tam potens sit in factis, non aliter iudicare se ait, quam quod Christus verax sit in doctrina, & illam à Deo habeat, ideoq; illa doctrina sit verissima.

Hæc verò commendatio non proficiscitur ex corde hypocritico, quomodo discipuli pharisæorum, & Herodiani commendaverunt Christum dicentes Magister scimus quod verax es & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum Math. 22. v. 16.

L. C. Videant illi qui applicarunt animum ad ministerium Ecclesiasticum, volunt suo tempore fieri Doctores in Ecclesia, videant ne currant non missi, expectent legitimam vocationem ab Ecclesia & consistorio vocati sint securi & in timore Domini eant ad functionem illam Sacram capescendam, non dubitantes quin á Deo missi sint, ideo non diffidant Dei auxilio & benedictioni, labor eorum in Domino non erit inanis.

SECUNDA PARS

PErcepimus in prima parte quomodo Nicodemus ad Chriſtum venerit: in hac Secunda parte quid apud Chriſtum egerit videbimus:

In qua meditamur:

I. Informationem in quo conſiſtat via Salutis, & explicationem propoſitæ doctrinæ qua ratione homo in regnum Dei poteſt venire.

Poſtquam Nicodemus indicaſſet Chriſto, qui tamen etiam Nicodemo tacente ſcivit, quid cogitavit, cupiditatem diſcendi viam Salutis: progreditur Chriſtus ad viæ ſalutis explicattonem & declarationem; Dicit vero primo brevitèr & ſimplicitèr quod niſi quis renatus fuerit, non poteſt videre regnum Dei: Utq; magis credat Nicodemus huic doctrinæ, aſſeverat & confirmat Chriſtus ſuum ſermonē repetitione particulæ Amen, Amen Amen inquit dico tibi, niſi quis renatus fuerit, non poteſt introire in regnum D E I.

Explicatio propoſitæ doctrinæ, de via Salutis ubetior hæc eſt quod fiat per regenerationem Spiritualem. cum mox Saperet carnalitèr Nicodemus, & hominis regenerationem intelligeret ita quod quaſi quis iam ſenex qualis ipſe eſſet in ventrem matris ſuæ ingrederetur, ideo q; viam illam Salutis pro abſurda & impoſſibili heberet, explicat Chriſtus mentem ſuam dicendo: Amen Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu vidz. Sancto, non poteſt introire in regnum Dei, quod natum eſt ex carne caro eſt. Cujus ſenſus eſt hic: ex peccatoribus

bus peccatores naſcuntur. Job, 14: 4. Rom. 3. v. 12. Eph. 4. 18. Gen. 8. 21. Eph. 2. 3. & vice verſa per baptiſmum Spiritu efficimur Spirituales vel novi homines Eph. 4. 24. col. 3. 10. Eph. 5. 8. Pſal. 51. vel ut brevitèr Lutherus in catheceſi explicat, baptiſmus liberat à mor. te & poteſtate Sathanæ donat æternam vitam omnibus qui credunt Sicut verbum D E I & promiſſiones Sonant.

L. C. Ut Chriſtus pri no Simplicitèr & breviter proponens Nicodemo viam Salutis mox illam futius Explicat, cum videt Nicodemum rudiorem eſſe, quam ut doctrinam illam ſine adjuncta declaratione perciperet, ita quantum opus eſſe, illum informans: Ita & doctores & miniſtri Eccleſiæ familiaritèr proponant doctrinam Salutis, pro ut vident auditores opus habere, nec dimittant eos niſi plene informatos in rebus ad Salutem æternam Spectantibus, nec pigebit omnia fieri omnibus ſicut ſe feciſſe paulus teſtatur, ſe lac prebuiſſe infirmis non Solidũ cibum 1. cor: 9. 1: corinth. 3.

II. Chriſti ad aſſenſũ adhortationem & ſeriam objurgationé. vult Chriſtus Nicodemũ ſimpliciter fidem habere verbis ſuis de hac regeneratione quod vere fiat in baptiſmo licet ſenſibus corporalibus non percipiatur. Pro exemplo ſumit Chriſtus Spiritum vel ventum de quo nemo dubitat, quin ſit, quin habeat ſuas evidentes operationes, licet non perfectè cognoſcat Homo, Unde veiat & quo vadat, ideo vult Chriſt. Nicodemum ſuum diſcipulum non mirari tantopere & pro impoſſibili habere hanc Spiritualem regenerationem ex aqua & Spiritu: Credat modo. regenerationem fieri in baptiſmo filium iræ & æternæ condemnationis, reve-

re fieri filium gratiæ, hæredem Dei & cohæredem Christi, pluribus non eſt opus in hoc inquirere.

Objurgatio hæc eſt: quomodo poſſunt hæc fieri inquit Nicodemus: hoc diſplicuit Chriſto, quod adhuc dubitaret, quod ad huc modum voluit ſcire, cum id opus nõ eſſet in via Salutis, ſed tantum ut crederet fieri quod Chriſtus dixit, proinde Chriſtus non amplius rem explicat, ſed arguit ipſum ut tardum ad credendum verbis ſuis. Ait Ergo: tu es Magiſter in Iſrael & hæc ignoras, Amen, Amen, dico tibi, quia quod ſcimus loquimur & quod vidimus teſtamur & teſtimonium noſtrum non accipitis, ſi terrena vobis dixero & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credatis? & nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cœlo. Et ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit &c. in hoc Sermone objurgatorio, vult Chriſtus iterum Nicodemum abſtrahere ab hac intempeſtiva & nimia admiratione novæ generationis, & nativitatis noſtræ ad æternam Salutẽ, qua videtur velle Chriſtum nec non Spiritum Sanctum arguere mendacij vel impotentiæ, quaſi hanc generationẽ efficere non poſſet. Admonetur etiam Nicodemus, ad huc plura in fide Chriſtiãa eſſe quæ capere nõ poſſet, quæ interim credere tenetur: videlicet qui filius hominis aſcendit in cælum, Aſcendit & ſit in cælo. Exaltandus, ut omnis qui credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam. Hæc equidem rationi humanæ abſurda videntur, ſed tamen verſiſſima ſunt. Quæ pie ſic explicari ſolent.

1. Nemõ hominum habet (propter peccatum) jus regni cæleſtis: Sed omnes digni eſſent, qui perpetuo â cælo exularent. Sunt enim omnes peccatores &

in

injuſti, ſolus autem filius Dei, qui de cælo deſcendit, & aſſumendo humanam naturam etiam filius hominis factus eſt, habet jus regni cæleſtis: Et ille ipſe etiam in terris degens tamen ſimul eſt in cælo, Is dignus eſt cæleſti felicitate. Nam ratione divinitatis ſuæ æternæ eſt hæres cæleſtis Regni quia unigenitus Dei filius: ratione humanitatis ſponte ſeſe ſubjecit legi, & perfectiſſimam obedientiam legi præſtitit: quam tamen non debebat legi; quippe qui Dominus erat legis. Hoc poſterius jus Regni cæleſtis donat omnibus in ſe credentibus: Ut propter ipſum fieri poſſint hæredes vitæ æternæ. Et cum omnes homines peccato ſint infecti, ipſe filius Dei in cruce peccatum ex piabat: et ſuo merito, OBEDIENTIÆ & PASSIONIS, patefacit illis aditum in cælum, quibus alias nullus patebat acceſſus ad gaudia cæleſtia.

2. Hæc Hiſtoria de ſerpente æneo habetur Num vigeſimo primo capite & fuit typus Chriſti pendentis in cruce. Iſraelitæ enim per impatientiam in deſerto murmurabant adverſus Deum: Itaq; Dominus immiſit illis ingnitos ſerpentes, qui veneno ſuo inflamarent corpus hominis, utqui morſi eſſet à ſerpente illo ardentiſſima & quaſi peſtilenti febri, & acerbiſſimis cruciatibus moreretur: Sic omnes homines per antiquum ſerpentem, Diabolum, ſunt infecti veneno peccati quod ubi in conſcientia verè ſentitur, excitat horrendos conſcientiæ cruciatus, ut homo ſibi ignibus infernalibus torqueri videatur. Et cui non ſuccurrit Dominus, is deſperatione finit vitam, & moritur morte æterna. Sed cum Deus miſeretur populi pereuntis, juſſit erigi in ligno æneum Serpentem, Et promiſit, fore: ut quisquis a ſerpente læſus eſſet, inſpiceret autem æneum ſerpentem, in ligno

endentem, is non moreretur; Sed vitam retineret. Serpens iſte adumbrabat Chriſtum. ut enim æneus ſerpens habebat quidem formam venenati Serpentis ſed carebat veneno: nec lædebat, ſed (ex ordinatione Dei) conſervabat homines: Sic Chriſtus habebat quidem formã hominis peccatoris: unde Paulus ait. Deus miſit filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati. Romanor. octavo & Phariſæi Chriſtum accuſabant, quod eſſet vinipotor, ſocius publicanorum & peccatorum. Imo qui eſſe Seductor populi, ſeditioſus, Dæmoniacus, blaſphemus cum tamen revera in ipſo nullum eſſet venenum peccati, quippe, qui non in peccato, ſed de Spiritu Sancto conceptus erat, & peccatum non fecerat, neq; inventus fuerat unquam dolus in ore ejus: Hic tamen innocentiſſimus Dei & hominis filius noſtra cauſa pependit in ligno crucis: ibiq; maledictionem, peccatis noſtris debitam, ſuſtinuit. Oculis autem fidei Chriſtum intueri eſt in Chriſtum Salvatorẽ credere, id eſt, confidere, quod ſit redemptor tuus, qui & pro te abſolutam & perfectiſſimam legi obedientiam præſtiterit, atq; pro tuis peccatis in cruce ſit paſſus, eaq; omnia perfectiſſimè expediverit.

L. C. Chriſtianos non decet nimis inquirere in Myſteria Divina, quomodo vera eſſe poſſunt illa quæ ſupra noſtrum captum ſunt, quæ tamen fieri Deus in ſuo verbo aſſerit, cogitemus nos eſſe animales non poſſe percipere illâ quæ ſunt Spiritus Dei Deus poteſt plura facere quam nos intelligere poſſumus. Eph. 3. v. 24. Zach. 8. 6. Jerem. 32. v. 27. deſtruemus omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei & in captivitatem redigemus omnem intellectum in obſequium Chriſti. 2. cor. 10. v. 19.

Obſervetur hoc diligentèr in myſterio cum primis

Tri-

Trinitatis, cujus festum hodierno die Ecclesia celebrat caveantur carnales cogitationes & disputationes, mancamus in verbo Dei & sufficiat nobis. Huic ad hæramus tenacissime, quod faxit Sacro Sancto Trinitas, cui laus & gloria in æternum. Amen.

Deus, qui unigenitum tuum, contra veteris Serpentem morsum, ita exaltari voluisti, sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ut omnis qui credit in eũ non pereat, Sed habeat vitam æternam, concede quæsumus, ut ex carne immunda per aquam & Spiritum renati, credentes in filium tuum non pereamus sed vitam æternam habeamus, quæ non meritum nostrum, sed gratuitum tuum donum est, per Christum Dominum nostrum. Amen.

BEnedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc. 7: 12

QUÆSTIONES.

I.

AN vox Trinitatis habeat suum primitivum & originem in Scriptura Sacra? Resp. Affir.

Nam 1. Joh. 5. v. 2. hæc extant verba: tres sum qui testimonium perhibent in cœlo: Pater, verbum & Spiritus Sanctus: Et hi tres unũ sunt ibi vero tres primitivũ & origo vocis Trinitatis, proindeq; terminus ipse nequaquam à Scriptura est alienus. Quidam volunt non nihil dictum hoc in dubium vocare; alij verò veritate & evidentia rei convicti illud concedere coacti sunt. Et notatu dignum ac necessarium est, quod quidem hic tres

testes

teſtes, & ſic tres perſonæ introducantur; dicantur tamen ita tres, ut ſimnl ſint unum: In ſequenti vero verſu octavo itidē tres teſtes in terra, Spiritus & aqua & ſangvis introducuntur: Sed hi tres in unum ſint. Ergò non ſimplicitèr, verum conſenſu, illi eſſentia unum dicuntur.

2. *An puerorum Baptiſmus evidenter ex ſcriptura demonſtrari poſſet, Aff.*

Nam primo Chriſtus omnes gentes jubet baptizare Math. 28:19. Atqui harum partem facilè potiſſimam conſtituunt infantes Ergo. Secundò Regni cœlorum nemo poteſt reddi particeps, niſi qui regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu Joh. 3. Ergo ne quidem infantibus hoc medium perveniendi ad ſalutem denegari poteſt ac debet. preſertim cum Chriſtus ipſe iubeat infantes ad ſe venire Marci 10: 14. perirent aurem utiq; niſi lavacro aquæ â peccatorum reatu abluerentur. Eph. 5. v. 16. Et niſi per baptiſmum Chriſtum induerent. Gal. 3. 27 eiq; inſererentur, Rom. 8. Et in mortem ejus per baptiſmum ſe, pelirentur Rom. 9. v. 3. Apoſtoli leguntur integras familias, baptizaſſe, quid ni ergo infantes? Neq; obſtat, quod patrum plurimi, baptiſmum parvulorum nominant Traditionem, intellexerunt enim traditionem non humanam. Et â pontificijs demum excogitatam ſed divinam ab ipſis Apoſtolis acceptam & in ſcripturis fundatam. quam in ſententiam ſcribit Auguſtinus: Eccleſia ab Apoſtolis accepit traditionem, etiam parvulis dare baptiſmum, ſciebant enim illi quibus arcana Myſteriorum comendata fuerunt, quod ſint in omnibus gentibus ſordes peccati quas per aquam & Spiritum Sanctum aboleri oporteret Joh. 3.